

commissionem nostram diutius expectando reos ut praefertur omnes et singulos coniunctim et divisim in scriptis excommunicavimus et dei nomine excommunicamus per praesentes. Quae omnia et singula vobis omnibus et singulis intimamus insinuamus publicamus ac ad vestram et cuiuslibet vestrum notitiam deducimus et deduci volumus per praesentes, mandantes vobis, quatenus eosdem sic ut praefertur excommunicatos et communitatem interdictam singulis diebus dominicis et festivis coram multitudine populi dum ad divina audiendum congregatus fuerit de ambonibus vestrarum ecclesiarum publice denuntietis et faciatis denuntiari sub poena excommunicationis et suspensionis, quas in vos et vestrum quemlibet trium tamen dierum canonica monitione praemissa dei nomine ferimus in his scriptis, nisi feceritis quod mandamus; diem vero executionis praesentium et quidquid in praemissis feceritis nobis per vestras patentes litteras remissas praesentium in signum fidelis executionis per vos factae legitime rescribentes. Nuntium nostrum delatorem praesentium quantum in vobis est de adversis sibi verisimiliter obvenientibus avisantes facientesque suae protectioni quantum poteritis, super quo vestras conscientias oneramus poenis et censuris sub praemissis. Datum Erffordiae in curia nostrae habitationis anno domini M° CCCC° quinquagesimo secundo vicesima quarta mensis Maii nostro sub sigillo praesentibus appenso.

Hinricus Gleueborg iunior notarius.

Nach der Handschrift Rep. II. fol. 10^a fol. 42 in der Stadtbibliothek zu Leipzig.

No. 288. 1452. 14. Juli.

Abt Thaddäus hebt, nachdem die Bürgermeister und Rätthe von Leipzig mit dem D. Johannes von Allenblumen sich freundschaftlich verglichen haben, auf Antrag des letztern den Kirchenbann und das Interdict wieder auf.

Thadeus dei gratia abbas monasterii sancti Jacobi Scotorum Erffurdensis ordinis sancti Benedicti Maguntinensis diocesis iudex et conservator iurium privilegiorum libertatum rerum et bonorum venerabilium virorum dominorum magistrorum doctorum atque scolarium almae universitatis studii ibidem una cum certis nostris in hac parte collegis cum clausula ‚Quatenus vos vel duo aut unus vestrum‘ ꝛc. a sacrosancta generali synodo Basiliensi dudum ante protestationem animorum dominorum principum sacri Romani imperii electorum factam specialiter deputatus universis et singulis dominis plebanis viceplebanis cappellanis presbyteris clericis notariis tabellionibus publicis quibuscunque per civitatem et diocesim Merseburgensem et praesertim divinatorum rectoribus in Lipczk salutem in domino [et] nostris huiusmodi imo verius dictae synodi mandatis firmiter obedire. Quia eximii et prudentes viri et domini Jacobus Stendal, Johannes Mewer in medicinis doctores, Johannes Tummel, Petrus Scober, Heynricus Pruser, Michael Eyleburg, Jacobus Moller, dictus Wolkensteyn, dictus Nuonhofer, Johannes Apothecarius, Laurentius Pouderniß, Johannes Fisscher, Petrus Stenger, Nicolaus Bowerburger, Conradus Bruser, dictus Crocz, Johannes Knappe, Johannes Nopel, Martinus Premsewicz, Nicolaus Moller, Johannes Sontag,